

Cartulaire de Marmoutier pour le Vendômois, Nr. 63

Notum sit universis successoribus nostris, militem quemdam de Blesi, Bettelinum nomine, divinitatis compunctum amore, non solum pro pena quam pro delictis suis promeruit evadenda, verum etiam pro patrie celestis adipiscende desiderio, dedisse Sancto Martino Maioris Monasterii ad augendam videlicet substantiam qua monachi ibidem conditori omnium servientes sustentantur, illam partem suam alodi quam apud villam Malardi habere videbatur. Nomina vero testium qui donationi huic affuerunt, subsignare studuimus. S. Bettelini, qui hanc partem alodi Sancto Martino contulit – Hamelini maioris – Richardi maioris – Rotberti maioris – Rainaldi Suceti – Hildeberti coqui – Otberti cellararii – Gualcherii pistoris – Guarini coqui.